

tio spectetur posteriori modo, nempe ut est vel universalis vel particularis, tunc pro absurdo non habemus enunciationem constare quatuor partibus, quam tres concurrunt ad constituendam enunciationem in se, ut est enunciatione scilicet categorica; quarta autem constituit enunciationem in esse universalis vel particularis enunciationis, estque ipsum signum.

TH. VI. Signa sunt vel universalia vel particularia. Universalia sunt: *Omnis*, *Nullus* &c. Particularia sunt: *Quidam*, *aliquis* &c. Dicuntur Signa universalia, quia scilicet id, cui adducentur in omnia sua inferiora, aut ea, de quibus dici potest, scorsim sumpta, distribuunt, ut: *Omnis homo est animal*, *Nullus homo est lapis*, hic tamen *Omnis* & *Nullus* tanquam signa universalia distribuunt hominem in omnia sua inferiora seu individua. Hoc vult Versorius, qui in Summ. Petri Hispani tract. i. dicit, quod signum universale faciat terminum, cui jungitur teneri universaliter pro omnibus suis suppositis: Signa autem particularia sunt & ideo dicuntur, quia scilicet illi, cui apponuntur, ad significant hoc saltem, quod pro aliquo vel aliquibus sumatur, v. g. *Quidam homines sunt pii*, *Aliquis homo est dominus*. Signa hæc denotant quidem inferiora, sed non omnia, & ideo dicuntur particularia. Primò agendum de universalibus, & in specie de signo *Omnis*.

TH. VII. Vox *Omnis* sumitur vel distributivè vel collectivè. Dicitur, quod vox *Omnis* sumatur distributivè, hoc est, quod subjectum in omnia sua inferiora distribuat, ita ut subjectum de quolibet subiecto contento affirmari vel negari possit, idque vulgo dupliciter fieri dicitur, vel enim signum *Omnis* sumitur pro generibus singulorum, vel sumitur pro